

Alberto Laski palatino Sradicensi Stanisla-
us Hosius

Fortatur ut confederationem per serenissimum re-
gem approbatam irritandam et induendam curat.

86

Reddidit mihi literas dominationis vestrae Rescius
meus, quem ad Christianissimos fratres Gallie et Polo-
niae reges miseram, ex quibus, quod est illius pietas
quod constantia, quod animi robur in fide Christiana
contra Christi perduelles hereticos tuenda et propaga-
da cognovi: sed multo plura ex ipsius sermone didici,
qui velum ipsius admirabilem, hac in re, satis pro-
dicare non potuit, unde maiorem cepi voluptatem
quam facile credi queat. Et quamvis ante quoque D. V.
propter insignes dotes quibus eam Deus ornare vo-
luit feci semper plurimi: tamen ad meum pristinum
erga illam studium ex hac illius tanta pietate, quod
etiam in literis ad me datis elucet, tanta est facta accres-
cit, ut major iam vix ullus relictus esse locus videat.
Est ita, ut scribit dominatio vestra, quod non alia est
via compendiosior ad gloriam et immortalitatem nomi-
nis consequendam, quam si quis pie Christum colat,
et in eius confessione constans ad extremum usque
diem perseveret, nec ullum eius rei causa periculum adi-
re detrectet: quo cum dominatio vestra sit ingenio fi-
dita cumque nullum in hac sua legatione vere Chri-
stiani catholici et orthodoxi senatoris officium prater-
miserit, et hereticorum furori fortiter se opposuerit, ni-
hil dubitet, quin et apud celestem et apud hunc no-
strum terrestrem regem proximis superioribus co-
mitibus electum, magnam sit gratiam invidua, et in-
gentem ab utroque sibi mercedem positam conse-
quetur: nec ulla unquam aetas de hac illius christia-
na fide tenenda fortitudinis et constantiae laude co-
ticescet

tierecet. Extorsenunt quidem ab invito rege nonnulla
haeretici, sed quae tamen eiusmodi sunt, ut ea suapte na-
tura concidere sit necesse. Nam quod pugnant inter
se, quae sunt: ut vulgato dialecticorum verbo utatur, con-
tradictoria, quomodo possunt ab eodem praestari? Sed
hoc, posteaquam in regnum ventum fuerit videbimus.
In domino confido, quod plures existant qui contradicunt
huius formulae, quae producta est per haereticos, quam
qui cupiant eam ratam habere. Cum autem domina-
tio vestra pro ceteris in communi patria nostra gra-
tia et auctoritate plurimum apud omnes valeat, res-
to mihi de illa polliceor, quod omnia sit factura, quoniam
plurimos ut excitet, qui iussurandi formulam hanc oppu-
gnent: quod non solum ad nostri Solorum regis verum
etiam ad summi regis regum et imperatorum gratiam
illi demerendam plurimum pertinebit. Apud sanctis-
simum dominum nostrum semel et iterum eam quam
dehinc de praclaris dominationis vestrae virtutibus men-
tionem feci: cui cum Resius meus literas illius de-
disset, cum primis illas hilari fronte accepit, et quae
praestitit in Gallis officia, fuerunt illi valde grata. U-
tinam autem brevi mihi videre liceat de: ad sedens:
hanc a serenissimo rege nostro missam, ut ei, quam
debet, illius verbis obedientiam praestet, tum diem cum
primis hilarem ducturus essem: nec eam alio quam ad
ades meas divertere cuperem. Quidquid officii praestari
poterit ab homine dominationi vestrae addictissimo, pro
viribus mea praestabitur a me, sanctissimus quoque domi-
nus noster quanti faciat cum alias virtutes, tum sp-
cipue fortem hunc et constantem animum, in Chri-
stiana, catholica et orthodoxa fide tenenda, et conserva-
da non tam verbis quam rebus etiam ipsis declarabit.